

## ΤΑ ΕΠΟΥΡΠΑΝΙΑ ΙΝ ΕΠΙΣΤΟΛΑ AD HEBRAEOS (8,5 ET 9,23)

In articulo cui titulus *Notio ἐπουράνιος* in *Epistola ad Hebraeos* conatum suscepimus illustrare per analysin textuum ex ipsa Epistola ad Hebr. quid sit maxime characteristicum notionis ἐπουράνιος et quomodo notio illa in argumento libri cum explanatione thematis centralis componitur. Restant nobis adhuc duo textus difficiliores, in quibus non datur, sicut in ceteris, forma singularis, sed pluralis neutrius generis: τὰ ἐπουράνια et quidem sine nominato explicite substantivo. Hic explicationem horum textuum adire nobis proposuimus. Deinde, praesentatis conatibus in textus elucidandos iam hucusque ab auctoriis susceptis, propriam theoriam praesentare audemus. Denique dicenda erunt nobis quaedam super opiniones aliorum in comparatione cum solutione proposita. En argumentum praesentis articuli.

### I. TEXTUS ET CONTEXTUS PROXIMUS HEBR. 8,5 ET 9,23

Idea producens capit is octavi est character sublimis sacerdotii Jesu Christi. Christus, utpote non descendens de stirpe aaronica sacerdotum, non potuit fungi munere sacerdotali in sanctuario terrestri. Reipsa testificatur a Deo eum esse sacerdotem de stirpe diversa, secundum ordinem Melchisedech nempe, qui stat omnino extra ordinem liturgiae iudaicae. Mutatio ordinis sacerdotalis tamen iuxta opinionem Auctoris sacri (7, 12) abrogationem foederis secumfert, et in consequentia necessitatem provocat novi sanctuarii novique sacrificii. In vv. 1—5 capituli octavi Auctor sacer demonstrare intendit Christum esse sacerdotem secundum ordinem praestantiorem quam ordo aaronicus. En textus:

v. 4: Si ergo esset super terram, non esset sacerdos, cum sint qui offerunt secundum legem munera,

v. 5: Qui exemplari et umbrae deserviunt caelestium τῶν ἐπουρανίων sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum: Vide, inquit, omnia facio secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.

Idea praedominans in capite nono est de sacrificii Christi praestantia. Sicut suprematio ipsius Christi concluditur ex superioritate ordinis rerum in quo Christus ministerio fungitur, sic etiam sacrificii a Christo oblati praestantia ex sublimioribus rebus hoc sacrificio purificatis simulac ex unicitate eius sacrificii (10, 14) arguitur. Occurrunt hic iidem duo termini ὑπόδειγμα et τὰ ἐπουράνια ac in 8, 5, sed

hic genetivus ab ὑπόδειγμα pendens non est simpliciter τῶν ἐπουρανίων, sed modo periphrastico τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Respectivus textus est sequens:

Vv. 19—21 describunt ritum ineundi foedus a Moyse peractum, quibus dictis concluditur in v. 22:

et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio

v. 23: Necesse est ergo exemplaria quidem caelestium his mundari. Ipsa autem caelestia melioribus hostiis quam istis

v. 24: Non enim in manufacta sancta Christus (Vulg.: Jesus) introivit exemplaria verorum, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

Ex his textibus conficere possumus schema relationum inter nova et vetera:

v e t e r a :	n o v a :
exemplum — ὑπόδειγμα } τοῦ ἐπουρανίου	τὰ ἐπουράνια
umbra — σκιά }	(8,5)
? exemplar — τύπος?	? exemplar — τύπος? (8,5)
(non clare patet, utrum erat ipsa realitas caelestis, an potius etiam nonnisi eius exemplar, εἰκὼν imperfectum realitatis)	excellentius ministerium melius testamentum meliores re promissiones (8,6)
exemplaria — ὑποδείγματα (9,23)	τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς = αὐτὰ τὰ ἐπουράνια (9,23)
χειροποίητα ἄγια (9,24)	ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν (ἄγιων)
ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν (ἄγιων)	τὰ ἀληθινὰ (ἄγια) (9,24)
σκιὰ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν (10,1)	τὰ μελλόντα ἀγαθά εἰκὼν τῶν πραγμάτων (10,1)

His praepositis attingere nobis necesse videtur quaestionem multum agitatam inter exegetas. Nemo est, qui non videt auctorem Epistolae delineare voluisse oppositionem inter duas realitates et continuo unam alteri contraposuisse differentiasque inter eas existentes ante oculos lectorum monstrasse. Quaestio prima oritur: Quanam mentalitate imbutus hoc discrimen inter nova et vetera statuit, et porro, quo fine sibi proposito hoc fecit. Deinde emergit quaestio altera, minime facillior, quae attingit textum ex 9, 23: Quid sibi vult nempe dictum καθαρίζεσθαι τὰ ἐπουράνια, proinde: Quaenam sunt haec ἐπουράνια, quae debent „purificari” (sumendo sensum obvium verbi graeci). Communiter assentunt hodierni auctores epistolam hanc tribuendam esse calamo non S. Pauli immediate, sed aliquius discipulorum eius. Dicunt de connexione Auctoris cum schola alexandrina, specialiter cum Philone<sup>1</sup>. In discussionem intrat etiam conceptus ἐπουράνιος, nam praecisus sensus huius notionis non nisi perpensis mentalitate ac tendentiis Auctoris sacri apprehendi optime queat. Solutionem utriusque quaestions ex superius declaratis quod attinet, mentione digni sunt praeprimis tres auctores:

<sup>1</sup> Cf. P. C. Spicq in articulis: *Le Philonisme de l'épître aux Hébreux* in RB 56 (1949) 542—572; 57 (1950) 212—242 (praesertim pp. 222—227) et *Alexandrismes dans l'Épître aux Hébreux* in RB 58 (1951) 481—502.

P. Franz Joseph Schierse S. J.<sup>2</sup>, P. Teodorico da Castel San Pietro OFMCap.<sup>3</sup> et Gerhard von Rad<sup>4</sup> utpote repreasentantes tres typos mentalitatis in problemate subeundo et explicando.

## II. SOLUTIONES PROLATAE

A. Solutio utriusque quaestioneis proposita a F. J. Schierse S. J.: Attentionem praefati auctoris attraxit oppositio simulac parallelismus inter duas realitates ab Auctore sacro in Epistola ad Hebraeos perspicuus. P. Schierse persuasus sibi est ideam fundamentalem Epistolae aliam potius non esse quam in philonistica (alexandrina) oppositione fundatam inter res huius mundi et res caelestes, i. e. mundi altioris<sup>5</sup>. Tractando de duobus templis in prima parte suae dissertationis tribus punctis comprehendit essentiam „philonismi” in materia respectiva, scilicet: correlatio (*Entsprechung*), praestantia (*Ueberbietung*) et differentia qualitativa (*qualitative Andersartigkeit*). Hoc vult dicere quod: Res terrestres et caelestes respondent sibi modo reciproco tamquam imago adumbrativa (*Schattenbild*) relate ad ipsum originale (*Wesensbild*); terrestres imagines-umbrae accipiunt suam maiorem perfectiōnem et superationem in caelestibus imaginibus essentialibus (*Wesensbilder*), tametsi illae monstrant quandam qualitativam distinctionem, sunt nempe res alterius generis.

Quando P. Schierse applicavit hoc schēma logicum ad contentum Epistolae ad Hebraeos, obtinuit novum aspectum prorsus diversum a communiter recepto<sup>6</sup>.

Franz Mussner in sua recensione libri P. Schierse animadvertisit quod iuxta laudatum auctorem theologia Epistolae ad Hebraeos apparet in schemate verticali-dualistico, non in schemate horizontalo-temporali ut solito. Hucusque duo testamenta opponebantur sibi in consequentia temporali: vetustum et inefficax locum cedere debuit novo et perfecto. Hic, apud P. Schierse, oppositio aspicitur potius inter mundum terrestrem uti transeuntem et inter mundum caelestem

<sup>2</sup> *Verheissung und Heilsvollendung. Zur theologischen Grundfrage des Hebräerbriefes*, München 1955.

<sup>3</sup> *La Chiesa nella lettera agli Ebrei*, Torino-Roma 1945, specialiter pp. 128—152.

<sup>4</sup> In R. Kittel, *Theologisches Wörterbuch zum N. Testament* (art. ἐποντάριος) — Helmut Traub — Gerhard v. Rad.

<sup>5</sup> Apud Philonem mutuatur idealismus et exemplarismus platonicus: essentia est mundus metaphysicus idearum qui solus valorem proprium possidet, mundus cognitionis sensualis et visibilis non est nisi imperfecta imitatio; in scala entium prorsus humilem gradum occupat. Cf. C. Spicq, *Le Philonisme*, RB, 57 (1950) 222—227.

<sup>6</sup> Cf. Franz Mussner in recensione: *Zur theologischen Grundfrage des Hebräerbriefes in Trierer Theolog., „Zeitschrift“*, 65 (1956) 55—57. Auctor recensionis adnotat quod in libro P. Schierse adest schema verticale-dualisticum.

uti permanentem. Inde omnia quae respiciunt redemtionem et salutem (*Heilsgeschehen*) pertinent ad facta „caelestia”<sup>7</sup>. Sic quoad primam quaestionem (de mentalitate Auctoris sacri) P. Schierse supposuit eum fuisse sub influxu philonico.

Relate ad quaestionem secundam (de „purificatione rerum caelestium” in Hebr. 9,23) difficultas maxima oritur ex verbo καθαρίζεσθαι — quod dicit remotionem alicuius impuritatis, praesertim peccati, ut videtur ex locis parallelis (Hebr. 9, 14; 10,2 cf. cum v. 4; in forma substantivi — 1,3; Tit. 2,14; Eph. 5,26). Difficile esset acceptare tentamen J. Bonsirven<sup>8</sup>, H. Strathmann<sup>9</sup> et aliorum, qui verbo huic fere eundem sensum dare studebant ac ἐγκαίνιζεσθαι<sup>10</sup> — „dedicare, inaugurate”. E. Rigganbach<sup>11</sup> secundum P. Schierse iuste observavit, quod debilitatio sensus verbi καθαρίζεσθαι ad solutionem problematis nihil profert, cum semper remaneat aperta quaestio, cur sanctuarium caeleste omnino aliquibus holocaustis ad suam dedicationem indigeret. Intactum restat praeterea quaestio amovendi peccatum, nam peccatum proprie est, quod introitum in τὰ ἐποράνια vetat. Secus enim non intelligitur ad quid serviret mera consecratio templi sine amotione peccati.

P. Schierse tenet insufficientes etiam ab aliis hucusque prolatas solutiones, puta F. Bleek<sup>12</sup>, iuxta quem sanctuarium caeleste per peccatum angelorum maculatum fuit; E. Rigganbach in „purificatione rerum caelestium” videt medium praeventorium contra pollutionem sanctuarii a peccatoribus imminentem<sup>13</sup>; H. Windisch<sup>14</sup> opinatur quod secundum legem correspondentiae (*Gesetz der Entsprechung*) peccata populi etiam sanctuarium caeleste contaminaverunt. Praefatis explicationibus Schierse obiicit generaliter parentiam intelligentiae relate ad intentionem scriptoris sacri, qui vult indicare enixe omnem oblationem in ambitu rerum adumbrativorum (*Abbildliche*) et terrestrium inefficacem esse. Efficax expiatio necessario rebus caelestibus affici debet, nam proprium locum simulac obiectum redemptionis non sunt nisi ἐποράνια<sup>15</sup>. Viget hic generalis regula, quod notio καθαρίζεσθαι non aliter ac aliae notiones ex adumbrativa vetero testamentali cultus organisatione depromptae suam plenam realisationem accipiunt dumtaxat in ambitu prototypico, ergo in mun-

<sup>7</sup> In praefata recensione, p. 55.

<sup>8</sup> Saint Paul, *Épître aux Hébreux*, Paris 1943, (Verbum Salutis XII).

<sup>9</sup> Der Brief an die Hebräer, Göttingen 1947<sup>4</sup>, p. 113.

<sup>10</sup> Cf. 1 Mach. 4, 36—59, ubi καθαρίσαι τὰ ἄγια videtur esse synonymum cum ἐγκαίνισαι, ἡγίασαι (v. 48). Cf. C. Spicq, *L'épître aux Hébreux*, t. II, p. 267, n. 23.

<sup>11</sup> Der Brief an die Hebräer, Erlangen 1922<sup>2—3</sup>, p. 283.

<sup>12</sup> Der Brief an die Hebräer, 3 Teile, Berlin 1828—1840.

<sup>13</sup> Der Hebräerbried erklärt (nach dem Kollegienheft des Verfassers, hrsg. von Windrath), Elberfeld 1868.

<sup>14</sup> Der Hebräerbried, Tübingen<sup>2</sup> 1931, p. 85.

<sup>15</sup> Schierse, op. cit., p. 47.

do caelesti. Procedendum est proinde via prorsus contraria ad modum agendi auctorum quorum opiniones attulimus: non debilitando sensum notionis, sed inquirendo in sensum pleniores quem certe „ablutio peccatorum” in se continet, qui permittatur applicare eam simul etiam ad verissima „sancta sanctorum”. Per τὰ ἐπουράνια primo debet intelligi speciali modo sanctissimum, quod in caelis est, spatium nempe in quo offertur „oblatio melior” quae sola expiationem pro peccatis efficit. Sed praeterea τὰ ἐπουράνια dicunt etiam obiectum necessariae actionis expiatoriae. Liturgia adumbrativa V. Testamenti peccata tollere non potuit, inde cultica restauratio puritatis relate ad populum et tabernaculum attingebat solummodo καθαρότης σαρκός (9, 13). Aliis verbis: peccatum humanum in ambitu V. T. et rerum terrestrium non potest contineri, ita ut contaminatio tentorii non constituit essentiam peccati, sed significat contaminationem veram sensu stricto, effectuatam per peccatum in sanctuario caelesti.

Conclusio auctoris (P. Schierse) est sequens: τὰ ἐπουράνια in conceptu Epistolae ad Hebraeos constituunt non longe remotam, quaestionabilem formationem in nubibus (*Wolkengebilde*), sed sunt „metaphysica medulla” (die „metaphysische Kernseite”) omnis existentiae terrestris, ubi demum adimpletionem suam obtinet essentia et existentia (*Wesen und Wirklichkeit*) rerum et hominum<sup>16</sup>. Non sunt nisi archetypicae realitates vitae terrestris, quibus adnumerari debet primo loco „ego” (das „Selbst”) hominum, i. e. eorum conscientia<sup>17</sup>.

B. Solutio proposita a P. Teodorico da Castel San Pietro. P. Teodorico commentatur Epistolam ad Hebraeos sub aspectu ecclesiologico, nil mirum ergo quod etiam notionem ἐπουράνιος sub eodem aspectu explicat, appellando in hoc ad S. Joannem Chrysostomum qui res caelestes in vitam terrenam Ecclesiae includere videtur<sup>18</sup>. Relate ad Hebr. 9,23 S. Chrysostomus tenuit expressiones τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς et αὐτὰ τὰ ἐπουράνια indicare res oeconomiae novae, in quantum destinationem caelestem habent. P. Teodorico speciali indagationi subiecit conceptus „futuri” et „caelestis” eo fine, ut ipse dixit:

„per vedere se il pensiero dell'autore sia tutto orientato, come si pre-

<sup>16</sup> Auctor inducit etiam testimonium S. Joannis Chrysostomi, Hom. 16, PG 63, 125: Et quomodo sunt exemplaria eorum, quae sunt in caelis? quomodo autem vocat nunc ea, quae sunt in caelis? num caelum? aut angelos? Nihil horum; sed nostra. Nostra ergo sunt in caelis, et nostra sunt caelestia, etiamsi peragantur in terra... etc. Cf. etiam Hom. 14, PG 63, 111 — comment. in Hebr. 8, 5: Quaenam hic dicit caelestia? Spiritualia: nam etiamsi mystice fiant super terram, sunt tamen digna caelestibus... etc.

<sup>17</sup> Op. cit., p. 48.

<sup>18</sup> Cf. Hom. 16, PG 63, 125; cf. adhuc PG 63, 111 s.: Caelestis est liturgia nostra, caeleste est altare et sacrificium, caelestis potestas remittendi peccata, per quam ministerio conferuntur claves regni caelestis, caelestis demum est Ecclesia, immo ipsa est nihil aliud quam caelum.

tenderebbe, verso il futuro e le cose dell'aldilà, o se, nella sua concezione dell'economia nuova ci sia posto anche per la chiesa terrena"<sup>19</sup>.

In primis, praefatus auctor explicat notiones, ut dicit, subsidarias. Notio ἐπονράνιος duabus aliis, scilicet ὑπόθειγμα et σκιά opponitur. Mentio adest in textu etiam de εἰκών oppositionum „umbrae” (*σκιά*).

P. Teodorico proponit vertere αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων per „realitas ipsa” vel per aliam expressionem similem. Σκιά in Hebr. 8,5 idem dicit ac ὑπόδειγμα proinde solummodo hanc ultimam vocem explicat auctor. In Novo Testamento ὑπόδειγμα saepissime dicit „exemplum secundum quod facitur quid boni vel mali” (Jac. 5,10; cf. Jo. 13,15; 2 P. 2,6). Etiam in versione LXX idem est ac „exemplum, exemplare” (Eccli. 44, 16,; 2 Mach. 6, 28, 31). Hunc sensum retinet solummodo in Hebr. 4, 11, ceterum in Epistola ad Hebraeos utitur in sensu specifico: „imago adumbrans quandam realitatem”, quae significatio in 8,5 adhuc corroboratur adiuncta synonymica voce σκιά ita, ut ambae expressiones significant „figuram adumbrativam”<sup>20</sup>.

In Hebr. 9,23 apparet realitas quaedam sublimior — τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς vocata etiam breviter (similiter ac in 8,5) τὰ ἐπονράνια, relate ad quam functio sacerdotum leviticorum vocatur ὑπόδειγμα καὶ σκία.

Hinc oritur quaestio: Possitne adscribi notioni τὰ ὑπόδειγματα in 9,23 eadem significatio ac in expressione ὑπόδειγματι καὶ σκιᾶ in 8,5? P. Teodorico respondet sequentibus in punctis:

1. Τύπος monstratus Moysi super montem (Ex. 25, 40) non erat „originale”. Antithesis inter ὑπόδειγμα et τύπος videtur carere fundamento in 8,5, etsi adsint auctores, qui conspiciunt eam, dicendo τύπον significare tabernaculum caeleste Moysi a Deo demonstratum, ὑπόδειγμα autem esse imitationem eius.

2. Nec suadetur haec antithesis per adhibitam vocem γάρ, nam haec coniunctio potius iustificat et ὑπόδειγμα et σκιάν quibus verbis denominatur in hoc loco apparatus culticus Vet. Testamenti. Coniunctio γάρ indicat quod iam in V. T. invenitur terminus analogicus: τύπος relate ad id, quod Moysi apparuit. Itaque et ὑπόδειγμα et τύπος non „copiam” et „originale”, sed potius simul sumptae dicunt imaginem adumbrativam „rerum caelestium”.

3. De facto τύπος potest assumere hunc sensum, ut patet ex ipsa Scriptura sacra (cf. v. g. in LXX Am. 5,26; in N. T. Rom. 5,14; 1 Cor. 10,6). „Typus” consideratur ut anticipatio ipsius realitatis, ut quid relate ad ipsam realitatem contingens et imperfectum. Hoc potest deduci etiam ex ethymone vocis: τύπος enim primitive est

<sup>19</sup> Op. cit., p. 7.

<sup>20</sup> Cf. J. Moffatt, *A Critical and Exegetical Commentary on the Epistle to the Hebrews*, Edinburgh 1924, p. 105, qui dicit in hoc loco de „endiade” (*hen dia dyoin*).

idem ac „impressio, signum” (Jo. 20, 25 bis), inde factus est transitus ad sensum „imago, figura”.

4. Realitatem correspondentem huic expressioni ὑπόδειγμα καὶ σκιά videt Auctor Epistolae in Novo Testamento, ideoque etiam τύπος censendus est imperfecta imago sicut et munus Moysis imperfectum fuit et subordinatum missioni Filii Dei.

Explicatis terminis aggreditur P. Teodorico difficultatem ortam ex „purificatione rerum caelestium”. Si τὰ ἐπουράνια significant caelum vel sanctuarium caeleste, difficile intelligitur necessitas eius purgationis. Totum interesse auctorum hucusque occupabatur ipsa notione verbi καθαρίζεσθαι. Alii putabat intelligi debere diverso sensu verbum hoc, cum dicitur relate ad ὑποδειγμάτα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς (nempe in sensu „purificare”), quam relate ad τὰ ἐπουράνια. In hoc casu vident figuram rhetoricae quae vocatur *zeugma*. In relatione cum ἐπουράνια verbum accipit sensum puta ἐγκαίνιεσθαι — „inaugurare, dedicare”<sup>21</sup>. Alii cogitant de expulsione Satanae de caelo quo facto caelum „purgatum est”<sup>22</sup>, vel de necessitate expiationis pro peccatis humanis<sup>23</sup>, vel sicut tabernaculum Moysis ita et caelum purgare oportebat „ad cautelam”, scilicet ad maculationem quamlibet praecavendam<sup>24</sup>, alii denique intelligunt non tam de ipso caelo quam de hominibus qui illuc intraturi sunt et ob culpas suas prohibentur intrare. Postquam ipsi purificati sunt, etiam caelum dici potest purificatum, supponendo illud maculatum fuisse, si illi intrassent illuc culpa maculati<sup>25</sup>.

P. Teodorico deprobat debilitationem verbi ac suppositionem alterius obiecti purificationis quam hoc quod in textu explicite indicatur. Solutionem quaerit in sufficienter ampio sensu termini τὰ ἐπουράνια, qui sensus includeret etiam ideam purificationis sensu stricto. Quaectionem proposuit sibi auctor hoc modo: Num de facto τὰ ἐπουράνια significare debent solummodo caelum et res caelestes sensu locali?<sup>26</sup>

Respondens, primo animadvertisit, quod iam S. Joannes Chrysostomus et alii plus minusve ab eo dependentes commentatores

<sup>21</sup> Cf. De Wette, Lunemann, Ad. Maier, Bisping, van Steenkiste etc.

<sup>22</sup> Bleek - E. Wörner, *Der Brief St. Pauli an die Hebräer*, Ludvigsburg 1876, in h. l.

<sup>23</sup> B. Weiss, *Der Brief an die Hebräer in Kritisch exegetischer Kommentar über das N. T.*, Göttingen 1897, p. 237 s.

<sup>24</sup> Ribera S. J., *In Epistolam B. Pauli ad Hebraeos Commentarii*, Turnoni 1605, p. 463 s.; Zill, *Der Brief an die Hebräer*, Mainz 1879, p. 482 s. (Cf. V. Thalhofer, *Das Opfer des alten und des neuen Bundes*, Regensburg 1870, p. 218).

<sup>25</sup> S. Thomas inter alias opiniones tenebat etiam talem. Cf. Nicolaus de Lira in h. l. observat S. Thomam paulo superius scripsisse: „Ipsa autem caelestia, scilicet Novum Testamentum”, ergo opinio S. Thomae heic allata non est unica. Similem opinionem tenet Westcott, *The Epistle to the Hebrews*, London 1928<sup>3</sup>, p. 272 s.

<sup>26</sup> Op. cit., p. 140.

græci<sup>27</sup> intelligebant τὰ ἐπουράνια in sensu Ecclesiae eiusque institutionum<sup>28</sup>. Ipse S. Paulus exhibens sublimitatem et suprematiam Novi Testamenti (praesertim novi sacrificii), ad Vetus Testamentum eiusque institutiones alludit, ergo ponit „res caelestes” non in caelo exclusive<sup>29</sup>. Inde P. Teodorico thesim proponit sequentem: Τὰ ἐπουράνια significant non exemplare caeleste mosaici sanctuarii, sed totum ordinem realitatis superioris vita supernaturali redemptae humanitatis in hoc inclusa.

Inde facile concipitur etiam necessaria purificatio: homines enim, qui huius ordinis „rerum caelestium” sunt membra, a prævaricationibus suis mundari debent<sup>30</sup>. Argumentatur ex analogia cum Eph. 5,25,26 (mundatio Ecclesiae in quantum est complexus hominum), ex Hebr. 9, 14—21 (sanguis Christi emundat conscientiam fidelium a peccatis; in ineundo foedere sinaitico omnia, incluso populo, asperguntur sanguine, et illa sunt ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς ἐπουρανοῖς. Inde analogice arguere licet quod in αὐτὰ τὰ ἐπουράνια complectuntur etiam homines). Addendum est adhuc ex Hebr. 13, 15, quod Jesus sanctificavit populum suo sanguine. Ergo in Hebr. 8,5 et 9,23 τὰ ἐπουράνια significant non solum caelum vel sanctuarium caeleste, sed caelum et terram, in quantum iam in terra proditur ordo rerum quae finem et perfectionem suam habent in caelo, ubi Christus ascendit, sequentibus se aditum patefaciens.

C. Explicatio eschatologica. Auctor articuli de ἐπουράνιος in lexico graeco ad N. T. editionis R. Kittel<sup>31</sup> effert aspectum eschatologicum „rerum caelestium”, adnotans relationes inter ἐπουράνια et μέλλοντα. In 8,5 et 9,23 voce ἐπουράνια exprimitur sanctuarium perfectum in quod ingressus est pontifex caelestis, perficiens illud. Iuxta auctorem articuli imprecisio et indistinctio „rerum caelestium” in textu sacro videtur adesse non sine proposito. Ipsae „res caelestes” intrant in relationem cum facto apparitionis pontificis (Christi) in ipso caelo ante „faciem Dei” adeo strictam, ut

<sup>27</sup> S. Joannes Damascenus, Theophilactes, Eutymius Cygabensis.

<sup>28</sup> Hunc sensum recepit etiam Aestius et postea Schaefer, *Erklärung des Hebräerbriefes*, in *Die Bücher des N. T.*, Band V, Münster i. W. 1893, p. 258 ss.

<sup>29</sup> Expressio in plurali κρείττονι θυσίαις constituit parallelismum fundatum in pluralitate oblatorum et donorum V. T.

<sup>30</sup> Difficultas quaedam oriri potest ex v. 24: cum enim versus hic coniunctus est cum praecedenti ope γάρ hinc argui potest τὰ ἐπουράνια et ὁ οὐρανός eandem rem significare, i. e. caelum ipsum. Iuxta auctorem identitas haec sustineri nequit. Potius γάρ iustificat nomen αὐτὰ τὰ ἐπουράνια novo rerum ordini datum ex hac ratione quod Christus non in sanctuarium manu constructum sed in caelum ingressus est. Quia Christus in caelum ascendit et de caelo fidelibus distribuit fructus salutiferi sacrificii sui, ergo res ad novam oeconomiam salutis pertinentes dici possunt „caelestia”.

<sup>31</sup> *Theologisches Wörterbuch zum N. Testament*, art. Helmut Traub et Gerhard v. Rad.

videntur absorptae (*dass sie darin aufzugehen scheinen*); dictae sunt ἀληθινά et μέλλοντα (Hebr. 8,2; 9,11 Vlg. et v. 24; 10,1; 11,20; 13,14). Ἐπουράνια sunt res verae, reales, quae venturae sunt in sensu eschatologico. Non potest dari quid oppositum ad ea (sicut in 1 Cor. 15,48 vel Jo. 3,12), nam ipsae sunt bonum adimpletum (*das Vollendungsgut*), datur nonnisi comparatio cum eis (Hebr. 8,5; 9,23; 11,16 cf. 7, 19.22; 10,34; 11,35). Hoc modo dicuntur omnia V. Testamenti esse solummodo σκιά, ὑπόδειγμα et ἀντίτυπος relate ad τὰ ἐπουράνια (8,5; 9,23). Secundum Hebr. 9,24 essentiam horum „caelestium“ constituit αὐτὸς ὁ οὐρανός i. e. futura praesentia Dei (*die zukünftige Gegenwart Gottes*) a qua et relate ad quam dumtaxat datur aliquid reale (Hebr. 9,24 cf. Apoc. 12,10). Inde τὰ ἐπουράνια concipi debent. ut notio stricte eschatologica.

### III. PROPOSITA EXPLICATIO QUAESTIONIS DE ἐπουράνιᾳ

Elementa necessaria ad solutionem quaestionis desumenda esse videntur ex capite octavo simul et nono, in quibus invenitur forma neutrius pluralis τὰ ἐπουράνια.

In capite octavo auctor sacer iam a principio posuit thesim: Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, τοιούτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τοῦ θρόνου τῆς μεγαλωσύνης ἐν τοῖς οὐρανοῖς, τῶν ἀγίων λειτουργὸς καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς, ἣν ἔπηξεν ὁ κύριος, οὐκ ἄνθρωπος. In 8, 3—8 auctor demonstrat quod Christus in quantum minister perfectioris sanctuarii est simul mediator melioris foederis.

Imprimis comparat sacerdotes ritus mosaici et eorum cultum liturgicum cum Christo eiusque liturgia. Quod Christus non potuisset fungi sacerdotio super terram, nonnisi honoris eius est non detrimenti, etenim: a) Christus est: ἐν τοῖς οὐρανοῖς (v. 2) — sacerdotes levitici sunt: ἐπὶ γῆς (v. 4); b) Christus est: λειτουργὸς τῶν ἀγίων καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς (v. 2) — sacerdotes levitici autem: λατρεύουσιν ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων (v. 5); c) Christi tabernaculum: ἔπηξεν ὁ κύριος οὐκ ἄνθρωπος (v. 2) — sacerdotum leviticorum tabernaculum autem: κεχρημάτισται Μωϋσῆς μέλλων ἔπιτελεῖν... κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα... ἐν τῷ ὄρει (v. 5). Notemus modum artificiale constructionis litterariae in qua binae notiones continuo sibi correspondent:

ἐν τοῖς οὐρανοῖς — ἐπὶ γῆς

λειτουργός — λατρεύουσιν

τὰ ἅγια καὶ ἡ σκηνὴ ἡ ἀληθινὴ — ὑπόδειγμα καὶ σκιὰ τῶν ἐπουρανίων  
Ex hac correlatione apparent quod ipsa τὰ ἐπουράνια idem dicunt ac τὰ ἅγια, i. e. aedes sacrae seu sanctuarium in caelis, quod dicitur simpliciter τρὰ ἐπουράνια ἅγια, licet hoc non sit expresse positum. In textu parallelo

9,23 habemus promiscue et unam et alteram expressionem, scilicet: τὰ ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς — αὐτὰ τὰ ἐπουράνια.

In 9,11 auctor suscipit thēma mentionatum quasi obiter in v. 7, de actione summi sacerdotis in festo Expiationis (Jom Kippur) et asserit in vv. 11—14 actionem hanc perfectam fuisse modo infinite efficaciō a Christo — summo pontifice, qui in unico „Jom Kippur” transivit per tabernaculum cum sanguine propitiatorio et intravit in sanctissimum. Per hanc actionem suam Christus factus est mediator novi foederis quod in hoc loco vocatur „testamentum” (διαθήκη in v. 15). Sumpta porro hac denominatione Auctor sacer transit ad passum 15—22 de necessitate mortis Christi ad fundationem Novi Testamenti. Cum v. 23 reassumitur interim idea de „Jom Kippur” et evolvitur ulterius. Versus 23 iungitur cum praecedente per οὖν et habet communem cum illo ideam purificationis (verbum καθαρίζεσθαι).

Ultimum in hac materia erat dictum de hoc quod Christus, summus pontifex, intravit cum sanguine proprio in sancta sanctorum, ut perficeret efficacem purificationem conscientiae novi Israel ab operibus mortis, i. e. a peccatis. Si attendimus ad textum libri Vet. Testamenti, ubi descriptus est ritus diei Expiationis (Lev. 16, 15—20), invenimus ibi huiusmodi expressiones:

v. 16: et expiet sanctuarium ab immunditiis filiorum Israel et a praevaricationibus eorum, cunctisque peccatis.

v. 20: ... postquam emundaverit sanctuarium, et tabernaculum et altare... — De altari autem dictum est in

v. 19.; ... aspergensque digito septies, expiet, et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel.

Respectiva verba ex radicibus hebraicis *kpr*, *thr*, *qdš* in versione LXX translata sunt per verba ἔξιλάσεται, καθαρεῖ et ἀγιάσει. Conferre possumus Hebr. 8,5, ubi ministerium sacerdotum declaratur ut ministerium „exemplari et umbrae caelestium”. Sicut relate ad 8,5, sic etiam in 9,23 proponimus intelligere sive τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς sive αὐτὰ τὰ ἐπουράνια cum subintellecto nomine ἄγια, eo magis quod nomen hoc invenimus reapse in versiculo sequenti, ac etiam in v. 23.

Praeterea in v. 24 ab ipso Auctore inspirato datur explicatio quid sibi vult hoc sanctuarium dictum ἄγια οὐ χειροποίητα, quod est nempe αὐτὸς ὁ οὐρανός et opponitur alio sanctuario, quod etiam in plurali (ob formam pluralem ἄγια) vocatur ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν. Utile videtur comparare praefata nomina cum similibus ex cap. 8, 2—5 et 9, 2. 11:

a) immediatae descriptiones:

τὰ ἄγια (ἐν τοῖς οὐρανοῖς) (8,2) = αὐτὰ τὰ ἐπουράνια (9,23)  
= αὐτὸς ὁ οὐρανός (9,24)

ἡ σκηνὴ ἡ ἀληθινὴ (8,2), μείζων καὶ τελειοτέρα (9,11), ἡν ἔπηξεν ὁ κύριος οὐκ ἀνθρωπος (8,2), οὐ χειροποίητος οὐ ταύτης τῆς κτίσεως (9,11).

b) denominations ex oppositis formandae:

τὸ ἄγιον κοσμικόν (9,2) (ἐπὶ γῆς— 8,4)  
ὑπόδειγμα καὶ σκιὰ τῶν ἐπουρανίων (8,5) = ὑποδείγματα(ἄγια)

τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς (9,23); ἡ σκηνὴ κατὰ τὸν τύπον (8,5) = ἀντίτυπα (ἄγια) τῶν ἀληθινῶν (9,24); χειροποίητα ἄγια (9,24).

Conclusiones ex tabella: Tabella praebet nobis authenticam explicationem quid sint τὰ ἐπουράνια: sunt nimurum idem ac τὰ ἄγια ἐν τοῖς οὐρανοῖς, immo, in ultimo effectu idem ac αὐτὸς ὁ οὐρανός (cf. Hebr. 1, 3; 4, 14; 7, 26; 8, 1). Idem eruitur ex puncto b), etenim ὑπόδειγμα (nota singularem!) καὶ σκιὰ τῶν ἐπουρανίων idem valet ac ὑπόδειγμα (nota pluralem!) τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Semel utitur nomine ἄγιον in singulari, ceterum adest semper forma pluralis, inde etiam consequenter adiectivi ponuntur in plurali, si subintelligitur vox ἄγια ab eis determinata, et iidem adiectivi apparent in singulari cum nomine σκηνῆ — tabernaculum.

Adiectivi substantializati puta τὰ ἐπουράνια bis in textu occurrentia non sunt nisi adiectivi attributivi ad subintellectum nomen ἄγια; hoc suadetur etiam ex analogo usu adiectivi ἀληθινός vel ἀληθινά quando agitur respective seu de σκηνῇ seu de ἄγια (9,24).

Qaestionem de „purificatione” nunc quod attinet, solutionem eius quaerimus in recursu ad ritum diei Kippur in V. Testamento. Haec imago mutuata ab Auctore sacro et evoluta est, ut inserviat demonstrationi quod ministerium summi sacerdotis Christi emminentissime superat pontificatum Aaronis quoad magnitudinem ipsius personae et liturgiae et quoad efficacitatem. Sub hac luce consideranda est purificatio aedium caelestium, i. e. huius veri „Sancta Sanctorum”, quod simpliciter vocatur „caelum”. „Sanguis hircorum et taurorum” (9,13), ut dicere solet Auctor Epistolae, qui (sanguis) erat symbolum vitae (cf. Lev. 17, 11), salva prohibitione offerendi homines in victimis, debebat vices tenere vitae humanae, qua de causa pro humanis praevericationibus expiatio sustinebatur. Arca testamenti, et postea, absente illa, lapis eius loco positus in Sanctis Sanctorum, praesentiam Jahve aliquo modo significabant. Aspersae ergo sanguine victimarum, redditae erant hae res cultus iterum „sanctae”, „purificatae”, „propitiatae”. Peccator in huius sanguinis effusione vitam suam Deo obtulit ad poenam peccatorum luendam, Deo peccatis offenso, et quodammodo in symbolo Suae praesentiae quasi „exsecrato” iterum restituitur debita „consecratio”, „sanctitas” a parte peccatoris, in quantum per ritum aspersionis super „propititorum arcae” vel super altare, peccatum detergitur et aufertur a facie Dei, i. e. consequitur „purificatio”.

Hic ritus eminentiorem suam impletionem invenit in actione sacerdotali Iesu Christi. Christus postquam mortem oppetiit tamquam victima holocausti, intravit in caelum, in verum sanctuarium ab ipso Deo constructum, portans secum iam non sanguinem animalium sed suum proprium, ut secundum ritum „Jom Kippur” perficeret actum „purificationis et propitiacionis” pro peccatis totius populi, sed minime pro suis sicut primum facere debebat pontifex in veteri foedere.

Remanendo in imagine de die Expiationis sumpta, non videmus

rationem cur mutare vel debilitare sensum verbi *καθαρίζεσθαι*, volumus etiam servare significationem τὰ ἐπουράνια uti attributivi ad nomen ἄγια. — Sancta Sanctorum, summus pontifex, sanguis propitiatorius, purificatio, expiatio — sunt omnes termini technici cum significatione determinata in liturgia festi de quo agitur. Primo et per se ergo tendens est sensus proprius „sanctuarii”. Demum in ulteriore explicatione utique potest dici de hominibus qui „purificantur” a peccatis suis.

Praesentata explicatio termini τὰ ἐπουράνια in textibus 8,5 et 9,23 affert nobis sequentia commoda: a) logice: sinit nos remanere in eadem clara imagine desumpta ex V. T. et ab Auctore sacro primum praenuntiata (9,7), postea ulterius evoluta et applicata ad Christum-pontificem. Suadet haec explicatio primo et per se sensum localem sanctuarii caelestis, qui sensus videtur commendari non solum ex comparatione cum sanctuario mosaico, sed etiam aliis parallelis expressionibus: de ingressu Christi in caelum post peractam redemptionem (Hebr. 1, 3; 4, 14; 8, 1; 9, 11. 24; 10, 19. 20), de civitate et patria caelesti (Hebr. 11, 16), de Jerusalem caelesti (12,23) vel de regno (12,28). b) grammatice: magis consonat cum usu alibi attestato ponendi adiectivum cum vi attributiva, sed sine respectivo nomine substantivo, quando hoc nomen invenitur in propositione quae praecedit vel subsequitur; obtinetur uniformitas in modo utendi termino ἐπουράνιος, nam in tota Epistola apparebit ut adiectivus attributivus et evanescit necessitas distinguendi in duobus casibus exceptionalem formam adiectivi substantializati cum sensu impreciso si non prorsus abstractivo.

Solutioni huius obiici potest usus formae τὰ ἐπουράνια uti adiectivi substantializati attestatus, et quidem abundanter, in Epistola ad Ephesios (1, 3. 20; 2,6; 3,10; 6,12) et ad Philippenses (2,10), ceterum adhuc in Joanne (3,12). Replicare possumus, quod in his duabus epistolis captivitatis eiusmodi usus est constans. Cur ergo deberemus admittere in Epistola ad Hebraeos potius varios modos utendi, quam uniformem modum, eo magis, quod faciliter ac sine ulla mutatione textus explicationem tali modo faventem dari posse speramus.

#### IV. ANIMADVERSIONES SUPER SOLUTIONES RELATAS

In praefatis responsionibus auctorum hodiernorum ad quaestionem cuius nostra interest adsunt non pauca utilia et pretiosa, sed non omnibus conclusionibus simpliciter annuere possumus, iuvabit ergo pauca de illis heic seorsim adnotare.

1. Metaphysica distinctio duplicitis mundi iuxta Schierse. Conceptio relationum inter Vetus et Novum Testamentum tamquam duplicitis et diversae realitatis metaphysicae videtur generare difficultatem, nam a primo intuitu legenti sese iniicit magis perspicua distin-

ctio inter duo Testamenta utpote quid adhuc non perfectum et gradatim perficiendum, quam inter duos mundos: terrestrem et caelestem. Secundum P. Schierse omnia quae respiciunt redemptionem et salutem (*Heilsgeschehen*) pertinent ad facta caelestia et constituunt mundum stabilem, permanentem, qui est mundus unice verus, ad quem referuntur ideae omnis realitatis mundanae conscientia humana in hoc inclusa. Versamur hic in metaphysica.

Nos desideravimus invenire orientationem ex ipsa textus eiusque structurae consideratione. P. Schierse et ipse etiam animadvertisit solutionem quaerendam esse in intima cognitione finis quem habuit Scriptor sacer et qui reflectitur quodammodo in tota compositione operis. ἐπουράνια in sensu abstracto non invenimus, sed solum ut attributum diversarum rerum quae in relationem cum oeconomia salutis intrant ratione seu loci vel originis, seu tendentiae suae ad caelum. Dicuntur „futurae” ut subordinatae fini eschatologico, dicuntur „verae” ut adimpleti delineationum quibus Deus in V. T. eas adumbrabat. Inter vetera et nova non conspicitur tamen praecipitum quoddam seu hiatus magnus, sed potius transitus tamquam a re imperfecta ad eius adimpletionem perfectam (cf. Gal. 3,23. 24; Hebr. 7,19; 10,1).

Recte adnotavit P. Schierse quod ex locis parallelis patet καθαρίζεσθαι dici de remotione peccati, et quod peccatum vetat ingressum in τὰ ἐπουράνια, i. e. in sanctuarium quod in caelis est. Quod peccatum non contaminabat tentorium, attamen purificatio tentorii indicabat aliam contaminationem quae effectuata est in sanctuario caelesti — haec indagatio pertinet iam ad theologicam explicationem, quidnam significaret ritus culticus in V. T. Nostra magis intererat scire ad quidnam adnexit Auctor sacer in mente lectorum, utendo expressione de „purificatione caelestium”. Denique non videtur nobis satis iustificata conclusio P. Schierse quod τὰ ἐπουράνια sunt „die metaphysische Kernseite” omnis existentiae terrestris, specialiter si esset conclusio solummodo ex textu Hebr. 8,5 et 9,23 deducta.

2. Ecclesiologica explicatio P. Teodorico da Castel S. Pietro. Concedimus libenter res caelestes esse res quae spectant ad oeconomiam novam vi nexus inter notiones „caelestia” et „futura”. Alium nexum denuntiat auctor inter factum ascensionis Christi et inter eius sacerdotium, sed hoc nobis potius ostendit colorem „localem” in attributo „caelestis”.

Non necessarium est tamen quaerere ampliorem sensum vocis τὰ ἐπουράνια ad explicandam quaestionem de „purificatione” in 9,23. Iuste et in concordia cum textu dicitur ab auctore mundari debere homines, et verbum καθαρίζειν esse dictum de ablitione peccati, sed haec conclusio est iam ulterior, ipse ritus ad actionem Jesu Christi applicatus suadet potius, ut attentio vertatur in purificationem ipsius sanctuarii, quod est obiectum actionis ritualis.

Argumentatio ex analogia cum Eph. 5,25. 26 non convincit relate ad Hebr. 9,23, nam et imagines et themata sunt prorsus diversa. Hic (in Hebr. 9,23) agitur de ipso actu redemptionis obiectivae et adhibetur imago functionis summi sacerdotis in die Expiationis; illic (Eph. 5,25. 26) tractatur potius de subiectiva redemptione in baptismo et allusio fit ad ritum lotionis baptismalis. Utique hic illic invenitur idea purificationis sed omnino non eodem sensu adhibita.

Etiam argumentum ex 9,14. 19. 21 fundatur in identificatione thematis in hisce versibus cum arguento v. 23, supposita continuatione argumenti de ineundo foedere. Hoc suppositum sinit inferre populum, librum, tabernaculum etc. aspersos fuisse sanguine tamquam ὑπόδειγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ergo et concludere, quod in ipsis ἐπουράνιοις inclusos esse etiam homines. Sed hoc non videtur tam facile cum desit adeo stricta coniunctio inter pericopen describentem foedus et inter v. 23, qui continuat aliam imaginem.

3. Explicatio eschatologica — H. Traub, G. v. Rad. Opportune notat auctor articuli in lexico R. Kittel relationem inter ἐπουράνια et μέλλοντα ac ἀληθινά. Exacte per τὰ ἐπουράνια in 8,5 et 9,23 intellexit sanctuarium perfectum in caelo, etsi intelligere voluisse hanc expressionem tamquam abstractum ex proposito ab Auctore sacro positum modo impreciso et indistincto. Animadvertisit etiam, immo sedulo sublineavit sensum eschatologicum „rerum caelestium” Valor eorum plenissime exprimitur alio attributivo, nempe adiectivo ἀληθινός specialiter quando agitur de comparatione cum V. T., in quo omnia erant σκιά, ὑπόδειγμα καὶ αντίτυπος. Ut ex hac comparatione patet, ἐπουράνια sunt ea, quae pertinent ad novum ordinem rerum. Ut suo loco indicatum fuit, essentiam eorum videt auctor in 9,24, intelligens tamen „caelum” tamquam *die zukünftige Gegenwart Gottes*. Hoc videtur non esse absonum. Si in V. T. templum erat scabellum pedum Jahve et locus praesentiae Dei etiam per signum visibile manifestatae, quod tamen non obstante non erat nisi σκιὰ καὶ ὑπόδειγμα, nil mirum, si verum sanctuarium est ipsa praesentia Dei modo speciali participabilis a beatis, quae vocatur caelum. Et inde „caeleste” dici potest omne quod procurat participationem in hac praesentia Dei vel per suam a conspectu Dei descensionem, vel per suam vim ad conspectum Dei conducendi — ergo totus ambitus gratiae in nova oeconomia salutis. „Res caelestes” sunt eschatologica, sed etiam in hoc quod iam incepta in temporibus messianicis pergunt versus adimpletionem completam in mundo realitatis eschatologicae.